



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Ad mulierum smegmata quomodo talcum soluatur. Cap. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

id præstant vniones, quum acribus succis dissolutæ, & putri fimo maceratæ, oleum lucidum quoddam remittunt, præcipuum ad faciem mangonizandam, vt alibi fufius docebimus. Ad eisdem vsus accersitur lapis specularis, etiam argenteo colore reuulgens. Sed nulla e qua præstantior paratur, quam ex talco, vel argento viuo, vt in sequenti dicemus.

Ad mulierum smegmata quomodo talcum soluat.

C A P. XIII.

ET si operi huic dicato, quomodo talcum in aqua vel oleum soluat, latius loquemur, hic solum, vt ad vsum mulierum concinnemus, docebimus. Ex modis, qui circumferuntur, quos vtiliores experti sumus, apponemus. Talcum metallica pila contundito, inde in ollam accomodabis robustissimæ argillæ, & operculo inducto ferreis filis circumligato, atq; circumluto, spiramenta munienda sunt, ne expiret, & Solre- siccandam tradito: postea in fornace lapidum locato, vbi elustantur flammæ, vel alibi, dum modo violentissimus sit ignis. Vbi fornax ardere desierit, eximito, & vas frange, si in calcem iam redactum optime noueris: si minus, iterum efficere ne pigeat, & parem operam impendere, donec apparuerit, qui calcis quæritur candor. Quum verò perfectè inalbuerit calx, porphyretico marmore terito, in sacculum accommodato, vel in marmore humidissimo in loco, præalto puteo, vel cisterna diuigi immorari finito, & nimia humiditate stillatim effluere cernes. Facilius enim, & perfectius in aquam soluitur, si diutius combustum fuerit, & in calcem versum: nam in calcem redactæ partes, & vi ignis arefactæ, aquam trahunt. Fit &

aliq modo

nec inuili. Talcum in calcem reducito, & olle inditum vitrariorum fornaci, vbi maximè sæuit ignis, per sex dies immorari finito. Talcum tali modo in calcem redactum, cucurbitæ indes, quam primo euacuabis, infra paruo foramine peruiam reddes, ac sub posita paropsi- de extillantem humorem recipias loco humido, & calx in aquam

in aquam effluet, hanc in phialam vitream indes, & balneo aquam expirare finito, exempto sedimine uteris. Nos

alio modo

etiam vsi sumus. Cochleas in fictili vase sub dio ponito, vt triduo fame laborent, & inedia tabescant, purgenturq; inde magnetem argenteum, siue talcum in pollicem subtilissimum redactum, cum oui albumine permisceto, & vnguem parabis: eo testaceum vas perline, & cochleas in eo ponito: nam talcum vorabunt, vbi totum absumperint, & egerint excrementa, cochleas cum suis testis cõtere, & recuruo vase impositis, leui igne aquam extrahes, elabens humor mire ad faciei nitorem conciliandum valet.

Argenti viui sublimati præparatio. CAP. XIV.

DIXIMVS nullam rem ad mulierum smegmata, scilicet & abstergendum, & ad conciliandum nitorem præstantiorem reperiri, quam argenti viuum: ideo quam plures modos illud præparandi apponemus, vt ijs pro voto fruaris. Sumito sesquunciam argenti viui legitimi, & non adulterati plumbo: nam si plumbum remissum fuerit, oleum, & operam perdes. Quomodo repurgetur, cognoscaturque alibi diximus. Hoc in silibram argenti viui sublimati commisceto, & in marmorea pila imponito, ac ligneo pistillo nouo in orbem circumterendo exagitabis. Primo nigrescit, sex horis inalbescit, si atterere non desieris. Tunc salis albi sesquunciam addito, pistillo semper circumterendo, nam quanto diutius contriueris, eo perfectius reddes: vbi optimè detritum erit, lauari oportet. Feruentem limpidam aquam in pilam inspergito, & conturbato, ac immorator tantisper, dum limosa pars subsideat, & sordes, quæ leuiore sunt, & superius ierant, vas in latum inclinando, sensim aquam projicito, & aliam super infundito: hoc quinquies, aut sexies identidem facito, donec purus, & merus puluis, sordium expers remaneat, colliges in pastillos, & Soli resiccari curato. Sunt qui dura conterunt, aquam irroxant, & attritu adeo leniter pul-